



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvator Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

33. de peccato originali quantum ad numerum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

E P I T O M E

vel tarditas, præmium vel pœnam in futuro non collocat.

DE PECCATO ORIGINALI quantum ad numerum.

DISTINCT. Trigesimæ tertiæ
CAP. Primum.

Vno tantum peccato primi parentis, & non pluribus peccatis parentum ordine subsequentium parvuli obligati sunt.

Superioribus adiiciendum videtur, an peccata patrum præcedentium ad parvulos transeant. Sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse. Nam August. in Enchi. ^{ca. 47.} videtur approbare peccata parentum præcedentium imputari parvulis: non omnium tamen qui fuerunt ab Adam (ne importabili æternæ pœnæ sarcina gravarentur parvuli) sed tamen eorum parentum, qui eos à quarta generatione præcesserunt, iuxta illud, Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam & quartam generationem. ^{exo. 33} Quæ Augustin. dixit non asserendo, sed diuersorum opiniones referendo: alioqui ipse sibi ipsi contradicere ostendit.

deretur, qui in eod. lib. omnium mitissimam dicit esse pœnam paruulorum, qui originali tantum tenentur peccato, his verbis: Mitissima sanè pœna eorum erit, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: & cæteris qui addiderunt, tantò quisque ibi tolerabiliorẽ habeat damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem. Ecce apertè dicit paruulorum pœnam omnium aliarum pœnarum esse leuissimam. Quod si est, non igitur peccatis patrum præcedentium obligantur, nisi Adæ. Si enim pro peccatis actualibus parentum æternaliter punirentur, & pro suo originali, non iam minùs, sed fortè magis quàm ipsorũ parentes punirentur. Non igitur pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro actualibus primi parentis, sed pro originali, quod à parentibus trahitur, paruuli damnabuntur, pro eo nullam aliam materialis ignis, vel conscientie vermis pœnam sensuri, nisi quòd Dei visione carebunt in perpetuum. Vno igitur & non pluribus peccatis paruuli obligati sunt. Vnde etiam ea quibus illa opinio muniri videtur, scilicet quòd peccata & iniquitates in paruulis aliquando scriptura esse significat, vtens plurali numero, ita determinat Augustinus in eodem libro, quia in scriptura per singularem numerum pluralis na-

T iiii

*pœna tantum in
a ob pœna
1. em pœna
f. 149. a p. 29
a f. 155. A*

2

=

1.

2.

*ob
actualis pœna
tantum pœna
tantum*

*pœna pœna
tantum baptizati?*

merus sæpe significari solet, vt ibi: Ora ergo ad Deum vt auferat à nobis serpentem. *Nu. 21*
 Non ait serpentes, quos patiebatur populus.
 Et è conuerso per pluralem numerum notatur singularis, vt in Euág. Mortui sunt enim *Mat. 11*
 qui quærebant animam pueri. Non ait, mortuus est, quum loqueretur de Herode. In Exodo, fecerunt deos aureos, quum vnum fecerint vitulum, de quo dixerunt, Isti sunt dii tui Israel. Ita & illud originale vnum plurali numero significatur, cum dicimus paruulos in peccatorum remissionem baptizari, & in peccatis vel iniquitatibus concepi: quum tamen in actuali peccato Adæ plura notari valeant peccata, vt August. in Enchi. *ca. 45.*
 insinuat. Possunt, inquit, plura in vna transgressionem Adæ, si in sua quasi membra diuidatur. Nam etiam superbia est illic: quia homo in sua potius quam Dei potestate esse dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se in mortem tradidit: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina persuasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & auaritia, quia plus quam sufficere illi debuit appetiuit, & siquid aliud in hoc vno inueniri potest.

*Nota Adami
 & lucæ.*

f. 122. b. l. 11.

Abz. Dip. 3.

l. 93 l. 4

1. transgressionem Adæ, si in sua quasi membra diuidatur.
2. Nam etiam superbia est illic: quia homo in sua potius quam Dei potestate esse dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se in mortem tradidit: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina persuasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est: & auaritia, quia plus quam sufficere illi debuit appetiuit, & siquid aliud in hoc vno inueniri potest.

*Ab. 2. d. 1. 43
 17. l. f. 104.*

C A P. Secundum. Peccatum Adæ non fuit omnium grauissimum.

Quidam ita esse videtur, quia illud peccatum totam humanam naturam mutauit. tamque magnum fuit, ut
 ca. 48. Aug. in Enchir. dicit. ut in homine vno originaliter & radicaliter totum genus humanum damnaretur. Quod etiam ratione ostendere laborant. hoc modo: Magis nocuit illud peccatum, quam aliquod aliorum: quia totum genus humanum vitiauit, mortique subdidit: quod nullo alio peccato factum est. maiorem ergo effectum habuit, quam aliud quodcunque. Ad quod dici potest, quod licet illud peccatum humanam naturam mutauerit in necessitatem mortis, & in totum genus humanum reatum diffuderit: non est tamen putandum grauius fuisse peccato in Spiritum sanctum, quod
 mat. 12. neque hic, neque in futuro (ut Veritas ait) dimittitur. Quod vero totam humanam naturam corruptit, non ideo est quod grauius fuerit cunctis aliis peccatis: sed quia ab homine commissum est, quando in vno homine tota natura humana consistebat: & ideo tota in eo corrupta est, maioremque effectum mali intulit quantum ad multiplices defectus, qui ex eo manauerunt, sed non quantum ad poenam aeternam, quam quidem grauiorem non meruit, quam plures postea meruerunt per alia peccata: imo grauiorem
 p. 148. b.

1
Magnum est
originaliter

2.
magnum tamen
peccatum fuit
sicut originaliter

3.
et ab homine
arbitria.

alios promeruisse credimus iram, quam
Adam meruerit.

C A P. Tertium. Primi parentes de
commisso illo peccato per pen-
nitentiam veniam confe-
quuti sunt.

Hoc ipsum Aug. in lib. de bapt. paruul.
asserit, dicens: Sicut illi primi paren- ^{lib. 2.}
tes postea iuste viuendo creduntur ^{ca. 44}
per Domini sanguinem ab extremo liberati
supplicio: non tamen in illa vita meruerunt
ad paradysum reuocari: Sic & caro peccati,
etiam remissis peccatis, si homo in ea iuste
vixerit, non continuo meretur eam mor-
tem non perpeti, quam traxit de propagi-
ne peccati.

C A P. Quartum. Peccata parentum
in posteris nonnunquam
puniri.

*Quoniam dicitur
in Genesi.*

IN Exodo ad Mosem hoc ait Domi-
nus, Ego sum Deus fortis, zelotes, visi- ^{cap. 26}
tans iniquitates patrum in filios vsque
in tert. & quart. generationem, his qui ode-
runt me. His verbis aperte insinuat, quod
Deus reddit peccata patrum super filios ter-
tios & quartos. Huic autem aduersari vide-
tur quod Dominus ait apud Ezech. ^{cap. 18.} Quid

est quod inter vos parabolam vertitis in
 prouerbum istud, dicentes, Patres come-
 derunt vnam acerbam, & dentes filiorum
 obstupescunt? Vno ego, dicit Dominus, si
 erit vobis vltra parabola hæc in prouerbum
 in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt:
 vt anima patris, ita anima filij mea est. & a-
 nima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius
 non portabit iniquitatem patris, & pater
 non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti
 super eum erit, & impietas impij super eum
 erit. His verbis videtur Deus corrigere per
 Proph. quod malè dixerit in lege. Si enim
 peccata parètum reddit in tertiam & quar-
 tam generationē, iniustitia videtur Dei esse,
 vt alius peccet, & alius puniatur. Quomodo
 enim iustum est aliū peccare, & alium pec-
 cata luere? Sed (vt ait Hierony.) Ne lex &
 Prophetæ, id est Exodus & Ezechiel, imò
 ipse Deus, qui & hic & ibi loquutus est, in
 sententia discrepare videantur, attendamus
 finem illius authoritatis Exod. Dicto enim,
 Reddo iniquitates patrum in filios, addit,
 His qui oderunt me. Per quod euiden-
 ter ostendit, non ideo puniri filios, quia
 peccauerunt patres: sed quia eis simi-
 les quodam hæreditario malo Deum ode-
 runt. Illud ergo quod in Exod. Domi-
 nus ait, sicut Hierony. tradit, non id sonat
 quod multi existimant: nec est simile

to. 5. in
 expla-
 nat. in
 16. ca.
 Exech.

Drilatio

9

huic proculdubio, Patres comederunt vnam
 2^a acerbam, &c. Illud enim Exod. Hierony.
 super illud Ezech. & August. sup. Psal. Deus Ps. 103
 laudem meam ne tacueris, de filiis pecca-
 ta patrum imitantibus accipiendum cen-
 sent, super quos dicitur Deus reddere pec-
 cata patrum: non quia punit eos eò quòd
 imitentur peccata patrum, non quia patres
 peccauerunt. Non itaque corrigit Deus in
 Prophe. quod antè dixerat in lege: sed quo-
 modo intelligendum sit aperit. Vnde & il-
 los qui prauè intelligebant arguit, qui dice-
 bant, Patres comederunt, &c.

*Quare dixerat in tertiam & quartam ge-
 nationem, & quare patres tan-
 tum commemorauit.*

Quaestio. Veruntamen si de imitatoribus malorum
 illud accipitur, quare tertiam & quartam
 generationem tantum commemorauit, quum
 in qualibet generatione rei teneantur, qui
 peccata patrum imitantur? Et quare patres
 commemorauit, quum & illi omnes mali
 sint, qui quorūlibet malorum peccata imi-
 tantur? Sed ideo patres specialiter nomina-
 uit, quia maximè patres solent filij imitari,
 quos praecipuè diligunt. Et tertiam & quar-
 tam generationem idcirco commemorauit,
 quia solent parentes interdum tandiu viue-
 re, donec filios tertios & quartos habeant,

matth 23.

Solutio.

qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis hæredes per imitationem efficiuntur. Secundum hunc modum rectè intelligitur ad literam, quod in Exod. dicitur.

DE PECCATO ACTUALI,
& eius causa.

DISTINCT. Trigesimæ quartæ
CAP. Primum.

Ex bono ortum habuit malum.

CAusa & origo prima peccati res bona exitit: quia ante primum peccatum non erat aliquid mali vnde oriretur. Cum enim originem & causam habuit, aut ex bono, aut ex malo habuit. sed malum antè non erat, ex bono ergo ortum est. Prius enim in Angelo ortum est peccatū, & postea in homine. Et quid erat Angelus, nisi bona Dei natura? Non ex Deo ortum est malum quod fuit in Angelo, non ex alio quàm ex Angelo, ex bono ergo ortum est. Vnde August. in responsio. cont. Iulia. hæret. qui dixerat, Si ex natura peccatum est, tunc mala est natura: ait, Quæso vt, si potest, respondeat. Manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fieri omnia opera mala, tanquam fructus malos. Sed ipsam malam voluntatem vnde dicit exortam, nisi ex bono? Si enim ex Angelo, quid est Ange-

*l. 110. a. l. 23.
24.*

l. 89. b. l. 89.

*Maly 7
l. 7.*